



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disputatio XVII. De Arte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



## DISPUTATIO XVII.

## De Arte.

## SECTIO PRIMA.

Discutuntur quedam circa conceptum Artis.

**I.** DE hac re eruditè Conimb. l. 2. Ph. c. 1. q. 5. a. 1. nos pro instituto nostro breviter. Ars ergo alia Divina, nempe ideè in mente Divinâ, quibus Deus dirigitur ad creaturas producendas: alia humana, actus nimirum, vel habitus artificem dirigens ad quædam artificiosè producenda, pictor v. c. per actum repræsentantem imaginem, quam intendit, dirigitur ad illam artificiosè depingendam.

**II.** Definitur Ars esse *facultas cum ratione factiva*, quæ tamen definitio, ut in Logica adverti, tantum competit artibus quarum opus est externum, non internum. Ars in variis imitatur naturam, unde & *natura æmula*, & *alia natura* dici subinde solet. Conveniunt primò Ars & natura, quòd summo ordine in suis utraque operibus procedat: unde traxit originem dictum illud *opus naturæ est opus intelligentiæ*. Secundò conveniunt, quòd sicut Ars, ita & natura ab imperfectioribus incipiat, unde dici solet, *Nihil simul inventum est, & perfectum*. Tertio, quòd utraque supponat subjectum in quod formam inducat. Differunt verò, primò, quòd natura sit effectiva, Ars solummodò directiva. Secundò, in naturâ semper est principium intrinsicum, in artefactis nunquam, sed artificium omne provenit ab intrinseco.

**III.** Natura est perfectior Arte, tum quia est substantia; Ars autem actus solum, vel habitus; tum quia natura verè efficit suos effectus, Ars nequaquam, sed solum potentias exequutrices dirigit. Tertio, quia natura est quasi Artis magistra, cujus proinde hæc imitatrix tantum dicitur. Ars tamen naturam perficit, estque non parvum illius ornamentum: juvat etiam naturam, ut constat in medicinâ, agriculturâ, & artibus etiam internis, nempe ut natura, illius ope, certius opera sua, & facilius præstet. Sic Aristoteles 4. de cælo, c. ult. affirmat mobilia omnia & acuminata ab Arte facilius, & velocius moveri quam plana.

**IV.** Quæres possitne Ars quædam naturæ opera efficere? Certum est, immediatè non posse: mediatè verò & dirigendo potest; ut cum per directionem Artis, ex intestinis boum nascuntur apes. Sic, ut refert Scaliger, in Ægypto non gallinæ calore naturali, sed in fornace, moderato quodam calore pulli excluduntur.

**V.** Sed obijciuntur aliqua, quæ & naturalia esse, & tamen ab arte facta videntur, ut aurei tripodes bellariis instructi in convivio Hierarchæ seiplos convivis sistentes, ubi etiam aurei pincernæ ministrabant. Item statua Dædali ex se huc illuc discurrebant. Præterea celebris erat olim statua Memnonis, quæ, marmorea cum esset, icta manè solaribus radiis in monte ubi erat exposita, suavissimum concentum edebat: & sexcenta hujusmodi.

**VI.** Resp. hæc vel præstigiis quibusdam dæmonum facta fuisse, vel, si artis opera fuerint, dispositas in- tus fuisse quædam rotas cum ponderibus instar horologii, & immixtum argentum vivum, quod semel motum, movet pondera & rotas, & sic tripodas il-

los & pincernas rotis insistentes sese convivis stitisse. Quæ est solutio Aristotelis loco citato. Idem judicium est de lignea columbâ Archytæ in aère libratâ sine fulcro, ponderibus, & aurâ in inclusâ. Eodem modo conficiebatur vitrea illa Archimedis sphaera, artis & ingenij miraculum, ubi orbium cælestium motus, astrorum ortus & occasus, defectus solis & Lunæ, omniaque ad cælorum noticiam spectantia ad vivum ita exprimebantur, ut non orbium cælestium imaginem, sed ipsos etiam cælos in compendium redactos oculis subjectos crederes.

Notandum, quando malefici characteribus quibusdam & figuris serpentes incantant, feras mansuetas reddunt, homines de statu mentis dejiciunt, & id genus alia, hæc non vi illarum figurarum fieri, sed pacto tacito vel expresso cum dæmonibus, qui ad figurarum illarum præsentiam semper adsunt, & per se res illas efficiunt. Addunt Conimb. citati posse vi folii magiæ naturalis, & nullo interveniente pacto cum dæmone, multa fieri quæ hodie à circumforaneis & circulatoribus cum stupore intuentium factitari solent. Ut cum subito in triclinio enasce videtur aliqua arbor, aut cum convivæ subito apparent cum leoninis aut bovinis capitibus, & alia hujusmodi, quibus per celerem quandam motum & artem exercitatissimam spectatorum oculis illudunt.

Quæri hic solet, an arte Chymicâ verum confici aurum possit. Nullum unquam de facto verum aurum per hanc artem etiamnum confectum esse videtur omnino certum: & in tribus vel quatuor adulterinum hoc aurum deficere aiunt. Primò, quòd vim illam non habeat in medicamentis, quam habet verum aurum. Secundò, quòd ductile non sit in laminas. Tertio, quòd colorem faciliè amittat. Quarto denum, quòd vim ignis, vel calidarum quarundam aquarum sustinere non possit. Quare Joannes 22. hanc artem damnavit, & aurum chymicum pro vero obrudentes ad restitutionem obligavit, tum ob plurima quæ ex hac arte Reipublicis incommoda proveniunt, ut quod multi ad summam inopiam ex inani hac curiositate frequenter fuerint redacti: tum quòd cum dæmone familiaritatem sæpè ineuntes, non opum tantum, sed & animarum jacturam fecerint. Imò diu ante hæc tempora, ut refert Cardanus, Diocletianus omnia quæ de hac arte scripta invenit, flammis absumi jussit.

Utrum autem possit per artem Chymicam applicando activa passivis ex mixtionè sulphuris cum argento vivo, quod omnium metallorum materiam esse afferunt, & adhibito calore debito, verum confici aurum, est controversia. S. Thomas in 2. dist. 7. q. 3. a. 1. secutus Averroëm & alios antiquos, negat; tum quia non apparet unde homines tam occultarum influentiarum & temperamenti auri noticiam acquirant, quòd enim hoc fiat resolutione auri, ut aiunt Chymici, videtur difficile; tum præcipuè quia cum tot jam inde à mundi exordio id tentarint, & nullus adhuc, quòd sciamus, verum & genuinum aurum confecerit, argumento esse videtur non posse ejusmodi artem inveniri. Quod ergo de lapide illo fertur, omnia solo tactu in aurum convertente, figmento simillimum est, & ut fabula videtur rejiciendum,

Archimedis sphaera Art. & ingenij miraculum.

VII.

Quomodo characteribus quibusdam, & figuris, serpentes ac fera incantantur.

VIII.

Per artem Chymicam verum aurum hæcenus non est confectum.

IX.

Utrum aurum confici possit, negat aliqui, alij affirmant.



X. Ars aurum conficiendi est hominibus possibilis physice, moraliter impossibilis.

Existimo igitur veri auri per artem confecti peritiam hominibus moraliter esse impossibilem, physice tamen possibilem. Prima pars probatur ultimo argumento proxime posito, de tam diuturna scilicet experientia, casto semper conatu. Secunda pars suaderi videtur, tum quia aliqua animalia possunt ab hominibus, applicando activa passivis, produci, ergo & aurum, ac cetera metalla: tum quia Angeli ac demones norunt & auri temperamentum, & qua influentia ad illius confectionem requiratur, sicque possunt ipsi illud conficere. Cum ergo sit hujusmodi ars in se possibilis, non est cur dicamus illius confectionem esse physice hominibus impossibilem.

SECTIO II.

In quo sita sit ratio figurae.

I. Quidam rationem figuram statuunt in modo ab artifice producto.

Prima sententia affirmat rationem figuram consistere in modo aliquo a parte rei & ubicationibus distincto, qui modis ab artifice in artefactis producatur, & rei quasi imprimatur. Sed contra, quando quis equi, leonis, vel hominis in rupe imaginem sculpsit, nihil novi ab artifice rupi physice imprimitur, sed solum partes aliquae demuntur, ergo non consistit figura in aliquo physico superaddito.

II. Alij figuram esse volunt superficiem extimam.

Secunda sententia asserit, figuram in superficie extima cujusque rei sitam esse. Sed contra, eadem superficie manente, diversa frequenter est figura. Sic idem funiculus, vel filum ferreum, nunc in circulum formatur, nunc triangulum, vel quadrangulum, & globus vel glans plumbea tunditur in laminam, persistente adhuc eadem superficie.

III. Alij statuant in ubicationibus.

Tertia sententia est, figuram aliud nihil esse praeter ubicationes varias partiales, quibus partes juxta se in vicem collocantur. Ita sentire videtur P. Hult. d. 14. Phy. f. 4. n. 44. & P. Arriaga d. 6. Phy. f. 2. n. 14. estque inter recentiores ferme communis.

IV.

Sed contra, primò, ergo sol singulis momentis mutat figuram, imò homo quispiam domo vel gymnasio egrediens, & mox rediens, non eandem reducit faciem, quam secum extulerat. Imò sequitur evidenter hominem quoties loco tantillum movetur, habere faciem semper essentialiter diversam, & Leodij habere essentialiter faciem Leodiensem, Londini Londinensem, Madriti Madritanam, seu facies spatiis illis ita affixas, ut nec divinitus alibi esse possint. Conf. sequitur homines dum vel pedibus incedunt, vel equo, aut cymba feruntur, habere facies successivas, nam ubicationes secundum omnes corporis partes acquirunt successivas, sed facies secundum hunc philosophandi modum, eadem omnino sunt, & realiter identificate cum ubicationibus, ergo.

Item facies successivas.

V. Imago hominis depicta non destruitur, dum charta complicatur.

Contra, secundò, quantumcunque quis hominis alicujus imaginem in charta depictam complicit, & chartam illam in unum quasi globum convolutam manu comprimatur, adhuc dicitur propriissime hominis imaginem manu gestare, & tamen ubicationes notabiliter mutantur, & caput jam in imagine est pectori vel pedibus forte proximum: ergo non con-

sistit figura artefacti in ubicationibus in ordine ad locum.

Mihi ergo probabilius videtur sitam esse figuram in tali proportione & conjunctione vel distantia partium, non in ordine ad locum, sed in ordine ad se, seu in tali unionem entitativam partium, qua permanente, persistat stabiliter eadem connexio partium in ordine ad se, quantumcunque quoad locum mutantur. Haec verò unio provenit vel ex temperamento aliquo seu complexione qualitatum, ut in naturalibus videmus, vel ex eo quod partes sibi invicem, vel alicui tertio adhæreant, ut in pictura, colores chartae, & per eam sibi permanenter adhærescunt. In aliis etiam omnibus artefactis simile quiddam intervenit, ut sunt clavi, aut aliud hujusmodi, quibus partes ita firmæ ac fixæ in tali inter se coordinatione, ac coaptatione tenentur, ut quocunque res artefacta transferatur, & locum mutet, eundem tamen semper partes inter se ordinem, ac dispositionem servant, sitque idem ubique physice artefactum, & non solum moraliter, quod dicere coguntur qui rem artificialem in ubicationibus constituunt.

VI. Figura sibi est in tali proportione partium in ordine ad se.

Haec ergo sit prima ratio hujus conclusionis. Secunda est, quod hoc modo incommoda omnia supra, contra tertiam sententiam allata facile vitentur.

VII.

Tertio salvatur quomodo imago Cæsaris quantumvis in globum convoluta sit, tam proprie nihilominus illius imago permaneat, ac dum expansa esset, & explicata: partes enim omnes imaginis eundem inter se situm ac dispositionem servant, quantumcunque earum situs in ordine ad locum, etiam notabiliter mutetur. Et certe mirum videtur, quoties quis imaginem aut chartam scriptam complicit, & convolvit, toties imaginem illam, & characteres in charta formatos destrui. Dicunt esse adhuc imaginem radicalem. Sed contra, si quis a gestante compressam manu, & in globum convolutam imaginem Petri, quærat quid illic gestet, & is respondeat, imaginem radicalem Petri, haud dubie omnibus movebit risum. Ita doctis juxta & indoctis animo insedit, nihil de sua integritate perdere imaginem quantumcunque complicitur, & in globum convolvatur.

VIII. Hoc modo salvatur, quomodo imago convoluta non destruitur.

Quarto, hæc clara & expedita via est explicandi quo pacto Christus in Eucharistia partes omnes corporis perfecte retineat, licet in qualibet hostiæ parte totus sit, & totus in quolibet illius puncto: partes enim corporis ejus, etsi penetratæ quoad locum, eandem tamen inter se coordinationem servant, quam nulla mutatio quoad locum vel in artificialibus tollit, vel naturalibus, aut etiam invertit, nisi unionem aliquam partium destruat, sicque eas dissolvat. In quibusdam tamen artefactis requiruntur quædam negationes, seu partium redundantium ablatio.

IX. Hac ratione salvatur, et facilius explicatur mysterium Eucharistiae.

Disputant hic aliqui, utrum ars ad opus artificiosum effective concurrat, an tantum directive. Hac de re late dixi in Logica d. 12. ubi artem directive tantum concurrere ostendi, nec ullam hac in re esse differentiam inter artes activas & factivas, seu interiorius & exteriorius operantes. Videatur P. Arriaga d. 6. Phy. f. 2. n. 16. ubi rem hanc bene discutit.

X. Ars tantum concurrat directive.